



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Formularium Episcopale

Barbosa, Agostinho

Coloniae Agrippinae, 1680

Formula XXX. Dispensationis super denunciationibus Matrimonij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10456

FORMULA XXX.

*Dispensationis super denunciationibus
Matrimonij.*

D Rodericus, à Cunha, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus, ac Dominus Bracharæ Augustæ, Hispaniarumque Primas, &c. justis de causis animum nostrum moventibus his nostris litteris facultatem tibi concedimus, ut tribus, vel saltem duobus testibus præsentibus N. & N. in Matrimonium (cum nullum ex informationibus oretenus sumptis inter eos legitimum detectum fuerit impedimentum) conjungere valeas; ita tamen ut celebrato Matrimonio intra... denunciatione tribus continuis festivis diebus ex præscripto Concilii Trident. fiant; & interim sponsi se à carnali copula abstineant, in reliquis vero forma ab eodem S. Concilio Trident. nostrisque Provinciali, & diocesana synodis præscripta servetur. In quorum fidem, &c. Dat. Bracharæ Augustæ, &c.

FORMULA XXXI.

Dispensationis auctoritate Apostol. concedenda super Matrimonio jam Contracto ob aliquod impedimentum dirimens.

D Rodericus, &c. Dilectis nobis in CHRISTO N. & N. Salutem in Domino. Oblatæ nobis nuper pro

parte vestra petitionis series continebit alias vos in... conjunctos invicem Matrimonium contraxisse, illudque postea consummasse, in eodemque sic contracto Matrimonio legitime vivere cupere, quia si Matrimonium inter vos non sequeretur, gravia exinde scandala, & alia incommoda in animarum vestrarum periculum possent verosimiliter exoriri, tuque... perpetuo difamata, & forsan innupta remaneres. Verum cum desiderium hoc vestrum adimplere non possitis absque sedis Apostol. dispensatione, propterea nobis humiliter supplicari fecistis, ut nobis in præmissis de absolutionis beneficio, ac dispensationis gratia, auctoritate Apostol. nobis in hac parte concessa, prout ex litteris S. D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. ad nos hac de re scriptis, opportunè providere dignaremur. Nos igitur salutem animarum vestrarum consulere volentes, præmissis ex causis animum nostrum moventibus, seu alias omni meliori modo; cum tu... propter hoc ab aliquo rapta non fueris, auctoritate Apostol. qua fungimur in hac parte, vos quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Canonicis sententiis censuris, & penis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, quibus quomodolibet ob incestus reatum, & excessus hujusmodi innodati forsan existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolvimus, & liberamus, injuncta vobis salutari penitentia... qua peracta ut impedimento